Fragmentarium

& virginitatem eius in castitate. Ipsa vero
pascebat oves nutricis sue cum cete-
ris puellis coetaneis suis. In illis temporibus
transibat olibrius prefectus de asia in
anthiochiam civitatem. Veniebat autem per-
sequi christianos & deos suos vanos
suadere adorari. et ubi audiebat quod ali-
quis christum nominaret statim eum nexibus
constringebat. Videns autem beatam marga-
retam prope pascentem oves nutricis
sue. statim eam concupivit. dixit quoque
ministris suis. Ite comprehendite mihi puel-
lam illam. si libera est accipiam eam mi-
hi in uxorem. si autem ancilla est dabo precium
pro ea & erit concubina mea. bene erit ei
in domo mea propter pulcritudinem eius. Cum
comprehendissent eam milites qui missi fuerant
a prefecto cepit beata margareta invocare dominum
dicens. Miserere mei domine miserere mei
Ne perdas cum impiis deus animam meam & cum
viris sanguinum vitam meam. Fac me domine
semper letari ihesu christe & te laudare. ne per-
mittas animam meam contaminari. & ne pol-
luatur fides mea. neque inquinetur corpus me-
um. nec immutetur sensus meus. Non pro-
iciatur margarita mea in lutum. Non immutetur
sententia mea a puritudine antiqua & ab in-
sipientia opprimatur. Sed transmitte mihi angelum
gubernatorem ad apprehendendum sensus meos
& os meum ad respondendum cum fiducia im-
pio & iniquo prefecto & sanguinario. video
me ut ovem positam in medio luporum
Ecce facta sum sicut passer ab aucu-
pe comprehensa & sicut piscis in hamo
Ecce comprehensa sum in retia velut capra
Adiuva me domine & sana me ne dere-
linquas me in manus impiorum. Venerunt ergo
milites ad prefectum & dixerunt ei. domine non
est ei potestas tua omnis. quia non est ser-
viens diis nostris. sed deum adorat et
christum predicat quem iudei crucifixerunt
Olibrius non immutavit vultum faciei
sue & iussit eam venire ad se & dixit ei

Ex quo genere es tu. enarra michi
libera es an ancilla. Beata margareta
respondit. Ego invoco deum patrem omnipoten-
tem et filium eius dominum nostrum ihesum
christum qui meam virginitatem hucusque
illesam atque inviolatam custodivit.
Prefectus dixit. Ergo invocas nomen christi
quem iudei crucifixerunt. Cui respondit. Quia
parentes tui crucifixerunt eum. ideo perierunt
Ipse autem permanet in secula seculorum
Tunc iratus prefectus iussit eam in car-
cerem recludi donec inveniret per qualem
machinationem virginitatem eius perderet
Introivit ergo prefectus in anthiochi-
am civitatem & adoravit [illegible] ut
deos suos surdos & mutos secundum
suam fidem. Secundo die sedit pro tribunali
iniquus prefectus & iussit adduci sanctam
puellam & dixit ei. Vana puella mi-
serere corporis tui & pulcritudinis tue.
magis consenti mihi & adora deos meos
& militiam tibi dabo pecuniam & bene
tibi erit sicut & mihi. Sancta marga-
reta respondit. Cognoscat deus qui
meam virginitatem consignavit quia
non movebis me a via veritatis qua
ego ambulo. Iam illum adoro quem terra
contremiscit. mare formidat. quem timent
venti & omnis creatura cuius regnum
permanet in eternum. Prefectus dixit. Si
non adoraveris deos meos. gladius
meus dominabitur carni tue & ossa
tua dispergam sicut ignem ardentem
Si vero me audieris & deos meos
adoraveris. corpus enim tuum erit mihi in
amorem. Ecce autem omnibus tibi dico
accipiam te in uxorem & bonum tibi erit
sicut & mihi. Sancta margareta respondit
Istis carnificibus corpus meum trado
ut cum iustis virginibus requiescam. christus
semetipsum optulit pro nobis in cruce
pro eo mori non dubito. quia ipse suo
signaculo me consignavit. Tunc iratus

License: public_domain – Philadelphia, Pennsylvania, Free Library of Philadelphia, Lewis E 199, fol. 103v – Jacobus de Voragine, <i>Legenda aurea</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-owoe/10858/78295)